

nem Papae eum actum esse qui vim, robur, firmitatem conferat decretis conciliorum ita ut sine ista confirmatione decreta huiusmodi sive in materia fidei aut morum sive in materia disciplinae careant intrinsece vi robore seu efficacia ad gignendam certitudinem fidei obligationemque pariendam. Huiusque sententiae demonstratio petebatur ex praerogativis Petri, quod nempe sit Petra Ecclesiae, Petra que fidei pro omnibus etiam Episcopis etiam simul sumptis simulque agentibus, quod sit fratrum Confirmator, sit omnium agnorum et ovium Pastor. Atqui haec aliis verbis est ipsa sententia quam defendimus. Decretum enim fidei quod ex Christi institutione impar est adhuc ad gignendam certitudinem requisitam ut aliquid ceu revelationum fidei divina credatur, non est per se ex eadem institutione infallibile.

Haec autem est sententia S. Thomae. Sane in qq. De Potentia q. X, a. 4<sup>o</sup> ad 13<sup>m</sup> docet quod R. P. potest interpretari symbola fidei prius edita, iisque addere aliqua ad fidei declarationem, idque potest auctoritate sua. Ratio est quia eius sola auctoritate potest congregari synodus oecumenica, et ab eo sententia synodi confirmatur, et ad ipsum a synodo appellatur: quae omnia patent ex gestis Chalcedonensis synodi. Cum ergo in synodo editio symboli facta sit, idem potest sua auctoritate R. P. Haec S. Thomas. Iam vero si species id quod affirmatur, et demonstrationem eius, habes 1<sup>o</sup> auctoritatem, quae propria est Rom. Pontificis non communis aliis (auctoritate sua), eam nempe quae confirmat sententias latae ab Episcopis in synodis, et ad quam a synodis appellari potest, hanc inquam auctoritatem esse infallibilem; talis enim est quae fidei symbola edit aut interpretatur aut eis aliquid ad fidei declarationem addit pro universa Ecclesia: habes 2<sup>o</sup> concilia oecumenica indigere confirmatione Rom. Pontificis quae robur et vim conferat decretis; talis est enim confirmatio illius ad quem a sententia synodi appellari potest: habes 3<sup>o</sup> sententiam synodi citra confirmationem vel antecedentem vel consequentem h. e. citra magisterium Rom. Pontificis, non esse sententiam magisterii supremi nec sibi vindicare posse praerogativam infallibilitatis; huiusmodi enim non est ea sententia a qua appellare licet, et quae proinde emendi potest. Porro Thomam loqui etiam de appellatione a sententia synodi in rebus fidei patet tum quia universaliter loquitur, tum quia directe disserit de auctoritate in rebus fidei. Porro quid ex his consequitur nisi quod nos defendimus? Idem S. Doctor docet in Summa II<sup>a</sup> II<sup>m</sup> q. I, a. 10, in quo querit an pertineat ad Summum Pontificem fidei symbolum ordinare atque affirmative respondet. Affirmat scilicet quod pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis determinare ea quae sunt fidei ut ab omnibus inconcussa fide teneantur. Ratio

prima desumitur ex verbis Domini ad Petrum Luc. XXII, 25. Altera ratio est quia in Ecclesia debet esse una fides; id vero servari non posset nisi quaestio fidei exorta determinetur per eum qui toti Ecclesiae praeest ut sic eius sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur. Tertia ratio, quae primo quidem loco ponitur in arg. *Sed contra*, haec est: quia editio symboli facta est in synodo generali: haec vero auctoritate solius Rom. Pontificis congregari potest; ergo ad auctoritatem eius pertinet editio symboli. Iam vero secunda ratio consideretur allata a S. Thoma. Unitas, ait, fidei postulat ut quaestiones fidei definiantur ea auctoritate quae praeest toti Ecclesiae; haec porro sententia exclusive est accipienda, nempe ut solum per eam definiantur quaestiones: hunc enim sensum exclusivum flagitat ipse scopus intentus nimirum unitas fidei in tota Ecclesia quae unum non duplex principium requirit; iuxta S. Thomam enim principium unitatis est unum: ergo quaestiones fidei solum definiri possunt per eam auctoritatem quae praeest toti Ecclesiae; atqui haec non est nisi auctoritas Primatus, igitur ceteri Episcopi vel simul sumpti nequeunt quaestiones fidei finire. Atqui non est infallibilis ea auctoritas quae nequit finire fidei quaestiones: ergo. In argumento *Sed contra* cum ait S. Thomas auctoritate solius Rom. Pontificis congregari posse synodum generalem, ea auctoritas intelligenda est quae, ut audivimus ex testimonio antea citato, confirmat synodos, et ad quam a synodorum sententia appellari potest. Hoc posito manifestum est ideo affirmari a S. Thoma quod ad auctoritatem Rom. Pontificis spectet editio symboli eo quod synodi in quibus est editum symbolum auctoritate sola ipsius congregari potuerunt, quia auctoritas sola Episcoporum sufficiens ad id non est utpote adhuc confirmatione indigena et reformabilis: ergo.

Hanc autem doctrinam nonne iam tradiderat Irenaeus loco celebri plus vice simplici recitato? Quid enim sibi vult cum ait: in Ecclesia Romana servatam esse ab omnibus fidelibus qui undique sunt apostolicam traditionem, nisi per Romanam Ecclesiam eius scilicet magisterium servari ab omnibus, qui ad eam convenient, h. e. ipsi subordinantur, veram fidem? Cum vero ait necesse esse omnes undique fideles ad hanc Ecclesiam convenire in qua ab omnibus servata est apostolica traditio, quid aliud docet quam Romana Ecclesia seu Sedes per se, aliae Ecclesiae per ipsam retinent veram fidem, nempe infallibles sunt in fide? Porro in ceteris Ecclesiis sive in universis fidelibus Episcopi quoque significantur, sicut significatur Episcopus Romanus cum dicitur Ecclesia Romana: ergo.

Et sane si vera est doctrina quam Th. XIV cum S. Thoma et primoribus scholasticis defendimus, iurisdictionem scilicet ordinariam

Episcoporum derivari veluti a fonte a Rom. Pontifice; quoniam infallibilitas dos est auctoritatis docendi, qui fieri potest ut ipsis vel simul sumptis insit per se infallibilitas, cum iisdem non insit nisi auctoritas docendi participata et dependens a Rom. Pontifice, deficiens a plenitudine propria Primatus?

**Coroll.** Ergo recipi nequit conclusio Toleti (2. p. q. I, a. X, Controversia VII, Concl. V, p. 63.) quae sic se habet: « Concilium generale, in quo omnes Patres consentiunt cum legatis huiusmodi (h. e. - qui non dicunt iuxta informationem Pontificis, quia eam non acceperunt - ex conclus. praeced.) etiam sine immediata Pontificis confirmatione, non potest errare », nimurum eius magisterium irrefragabile habendum est et infallibile. Falsitas huius sententiae, quam Parisiensibus Doctoribus tribuit et post eos defendit Toletus, at solum veluti probabiliorem (qui fieri ergo potest ut modo dicatur fuisse sententia communis?) ex dictis manifesta est. Etsi enim Romanus Pontifex per suos legatos vel per se ipsum praesit, si tamen ipse sententiam suam non tulerit, adhuc, ut vidimus, non habetur magisterium universale, cui Ecclesia fidem adhibere tenetur. Legati autem non habentes instructionem non repraesentant *quoad magisterium* eum a quo mituntur. Neque Toleti argumenta illam suadent. Argumenta sunt 1) quia tale concilium totam repraesentat Ecclesiam: tota autem Ecclesia errare nequit: 2) quia tale Concilium est in Spiritu S. congregatum; quum vero a Spiritu S. dirigatur, errare nequit: 3) Iulius, D. 47, can. *Regula*, improbans Synodum quamdam ait: « Neque enim est ex orthodoxis Episcopis congregatum, nec ullus Romanae Ecclesiae interfuit legatus »; unde colligitur: si ergo Episcopi orthodoxi fuissent, et legatus interfuisset, auctoritatem haberet, et errare non posset. 4) Sixtus IV in Bulla approbationis Concilii Complutensis dicit: « quamvis ea quae de nostro mandato rite fiunt, plenam habeant roboris firmitatem, interdum tamen robur adiicimus, ut eo firmius illibata persistant, quo magis nostro fuerint praesidio communita ». 5) Quia Papa non potest aliud dicere quam totum Concilium Patrum iudicat; non enim Papa habet Spiritus S. assistentiam, nisi facta diligentia et scrutinio Scripturarum; si ergo esset minus doctus, profecto non posset aliter iudicare. Imo ipse Turrecremata L. III, c. 64. dicit quod si Papa aliter diceret quam totum Concilium, magis standum esset Concilio, quia maioris est auctoritatis in discussione, licet non quantum ad iudicandum. 6) Papa potest esse haereticus, saltem secundum opinionem Cajetani et Turrecremata, et communem. Demus ergo quod habeat aliquam opinionem de qua sit dubium, an error seu haeresis sit. Regula discernendi erit Concilium ipsius voluntate convocatum. Si ergo hoc errare potest, pro-

fecto non exstat regula discernendi hoc dubium. 7) Quia Patres in Concilio statim ac unanimes sunt, solent dogmata fidei publicare, et fulminare anathema, ergo habent iam infallibilitatem.

Itaque ad 1<sup>ra</sup> respondemus, Concilium illud quidem, prout in eo spectantur omnia Ecclesiae praecipua membra cum suo capite, repraesentare totam Ecclesiam, eiusque magisterium, sed in actu primo, cui competit potestas definiendi infallibiliter: in actu autem secundo magisterium haberi cum Patres loquuntur, et docent: ac infallibile actu esse illud magisterium quod possit dici magisterium huius corporis repraesentantis totam Ecclesiam: ut autem actu magisterium huius corporis docentis habeatur, necesse esse ut caput ipsum loquatur quod est pars essentialis huius corporis, sine quo Ecclesiam repraesentari repugnat: ergo non docente Romano Pontifice nondum habetur actu magisterium illud cui competit infallibilitas.

Ad 2<sup>ra</sup> pariter respondemus directionem Spiritus S. multiplicem distingui posse, *communem* nempe, qua et ceterae fidelium actiones diriguntur; *specialem* ratione materiae, quae in speciali suo officio doctores authenticos regit, quaeque appareat etiam in tot Synodis provincialibus in Domino congregatis, quae non necessario aut semper excludit errorem, sed ordinat semper eos magistros ad debitam subiectionem magisterio supremo: *specialissimam*, quae supremum Ecclesiae magisterium regit necessario ex divina institutione ita ut nunquam ei error sit possibilis. Haec vero, propter quam solam certi efficimur, et ad credendum obligamur vera esse quae propounderunt, non est certe promissa nisi magisterio, quod a Romano Pontifice quoque procedat, h. e. magisterio universali; unde Romani Pontificis sententia deficiente, nondum constat an ea assistentia extiterit.

Ad 3<sup>ra</sup> dicimus 1) decretum illud desumptum esse ab epistola quadam apocrypha Iulii ad Orientales: 2) agi de synodo in qua per se non doctrina fidei sed depositio Athanasii acta fuerat, ad quam auctoritas Rom. Pontificis requirebatur: 3) ea quae afferuntur a Iulio satis quidem fuisse ad probandum Concilium illud fuisse illegitimum; mentionem autem specialem legatorum facere, quia Conciliis in aliena provincia Romanus Pontifex non per se, sed per suos legatos praesidebat, quibus et solebat instructionem dare: sed consequentiam Toleti non valere; plus enim requiritur ad bonum, quam sufficiat ad malum: bonum enim ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu.

Ad 4<sup>ra</sup> dicimus quod Sixtus IV in Bulla *Licet ea*, qua confirmat sententiam latam in Conventu Theologorum contra Petrum de Osma

(vide Card. D'Aguirre Collectio Concill. Hispaniae Tom. 3. ad ann. 1479), testatur se venerabili Fratri Alfonso Archiepiscopo Tolelano per alias suas literas commisso ut assumptis secum aliquibus in Theologia magistris, quae in propositionibus Petri De Osma circa peccatorum confessionem et ecclesiastica sacramenta (quorum superius idem Sixtus mentionem facit) falsa, haeretica exsisterent, auctoritate Apostolicae Sedis declararet, et decideret. Testatur deinceps praeformatum Archiepiscopum ad execucionem dictarum litterarum, earum forma rite servata, processisse. Porro ex huiusmodi narratione colligere licet et iam delatas fuisse eas propositiones ad Apostolicam Sedem, atque hanc iam suam sententiam circa eas aperuisse; quae praeterea praecipua ex parte iam in Concilio Constantiensi fuerant damnatae, et in decreto Eugenii IV pro Armenis. His positis liquet sensus verborum Sixti IV, quae afferit Toletus. Secus dicendum foret conventum aliquem non Episcoporum sed theologorum, cuiusmodi ille fuit, ex eo tantum quod de mandato Papae ad aliquid cognoscendum colligitur, gaudere infallibilitate in iudicio ferendo, quod nemo hactenus somniavit.

Ad 5<sup>a</sup> Haec advertimus: a) licet debeat Romanus Pontifex diligentem rei inquisitionem facere, non est tamen necesse ut per Episcopos eam faciat; sed per se ipsum, aut theologos aut consiliarios suos facere potest: « Nunc convocatis oecumenicis Conciliis, aut explorata Ecclesiae per orbem dispersae sententia, nunc per Synodos particulares, nunc aliis, quae divina suppeditabat providentia, exhibitis auxiliis » (Conc. Vat. Sess. IV, c. 4); b) certitudinem sententiae Pontificis non ab hominis ingenio, aut diligentia humani studii pendere, sed ab assistentia Spiritus S. qui assistit immediate Pontifici ne erret, dum actu potestatem docendi exercet. *Immediate*, inquam, assistit ei Spiritus S. et ita assistit, ut ipse Pontifex per se intelligat verum esse quod definit. Huc enim spectat assistentia propria illius qui est Petra et Confirmator Fratrum, ut ipse certissima fide apprehendat quod aliis credendum proponere debet: quemadmodum apprehendit Petrus cum dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi: « Ea tenenda definiverunt (Romani Pontifices), quae sacris Scripturis et apostolicis traditionibus consentanea Deo adiutore cognoverant ». C. V, l. c. c) Hinc nihil referre quod sit minus doctus. Et sane si argumentum Toleti valeret, probaret quoque congregations theologorum in conciliis, si unanimiter aliquid consulant, esse infallibiles; quia eodem modo dici potest, quod Episcopi et ipsi universi non habent assistentiam Dei nisi facta diligent inquisitione; ideoque si sunt minus docti quam theologi, non possunt aliter iudicare. Itaque quoad illud, quod primo loco dicitur, teneri Papam sequi sententiam

Concilii, respondemus 1) ipsum non teneri quoad exercitium actus; potest enim non praebere assensum; quo negato nondum habetur definitio conciliaris; ex eo autem quod id possit, colligitur sane magisterium totius concilii nondum esse supremum, nondumque dogma ab eo statutum esse de fide: 2) quoad specificationem actus vero, distinguimus; tenetur Pontifex eam sententiam sequi veluti sententiam eorum qui auctoritatem in ipsum habeant, vel auctoritatem per se infallibilem; negamus: veluti directivam iudicij sui, subdistinguimus: si ipse Romanus Pontifex per se cognoscat ex assistentia Dei, et iudicet esse veram, concedimus, secus, negamus. Tenetur autem quicumque alias Episcopus, confirmata sententia Concilii a Romano Pontifice, illi adhaerere, etsi forte non intelligat veritatem rei. Turcremata autem l. c. dicit « quod quando controversia in materia fidei orta esset inter Papam et Patres Concilii, licet universitas Patrum sequenda esset utpote iudicio discretionis praeeminentior, et superior, nihilominus nihil videretur conciliariter concludendum quo usque concorditer Papa et Patres in unam simul convenient sententiam ». Scilicet cum Romanus Pontifex nondum definit ut Ecclesiae Doctor, eius privata sententia, comparata cum sententia ceterorum opposita, potest theologice minus haberi.

Ad 6<sup>a</sup> dicimus quod regula discernendi an opinio Papae sit vera est ipsum magisterium sollempne Papae: certum est enim in omni sententia quod cum confirmat Concilium errare nequit; quod si Papa auctoritate sua docendi non utatur, non poterit quidem certitudine fidei sciri an ea opinio sit vera vel falsa, quamvis theologice de ea sicut de aliis sententia ferri posset: sed in eo nihil est incommodi; perinde erit ac si concilium de aliqua opinione sententiam definitivam ferre noluerit.

Ad 7<sup>a</sup> respondet Bellarminus (De Conciliis L. II, c. 11.) in hypothesi quod nova definitio fiat, et Pontifex sententiam suam nondum aperuerit, concilia quidem dicere anathema, sed intelligere illud vim habiturum si fuerit a Pontifice confirmatum: sicut quando index, a quo appellari potest, fert sententiam mortis in aliquem, intelligitur illum debere mori nisi princeps sententiam retractet. Quod de anathemate dicitur, et de promulgatione decretorum intelligentum est. Habet scilicet semper in his casibus locum ea subordinatio de qua ab initio locuti sumus.

Ergo citra magisterium Romani Pontificis nullum est in Ecclesia magisterium peremptorium quod sibi vindicari possit promissionem divinitus factam infallibilitatis, et fidem a fidelibus exigere.

Dices: ergo ne contingere poterit quod tota Ecclesia excepto Romano Pontifice erret? Respondeo quod, si omnes Episcopi vellent

seorsim a Romano Pontifice docere, errare possent: non enim iis seorsim a Romano Pontifice promissa est infallibilitas. Verum quemadmodum Deus non vult Ecclesiam omnem errare, ita nunquam permittet ut universus Pastorum coetus in docendo secedat a magisterio Romani Pontificis, eiusque magisterio se non subordinet: nam Primatus fidei Petri est praesidium unitatis et stabilitatis fidei a Christo pro Ecclesia sua institutum. Ceterum, vel supponitur Episcopos docere oppositum eius quod iam in Ecclesia consentiente Apostolica Sede definitum est: et Deus id quoad universum Pastorum gregem non permittet, sicut dictum est: vel supponitur eos sententiam ferre in aliqua re nondum definita, et in hac hypothesi 1) Deus non permittet ut totus coetus Episcoporum animo schismatico velit aliquid definire etiam citra consensum Papae, sed id efficiet, ut conditionate tantum determinet, si nempe Papa consenserit: qua in re 2) etsi errarent, nullum Ecclesiae periculum immineret, cum ipsa ad credendum non obligaretur, et sententia Episcoporum esset reformabilis a Papaâ.

Difficultas petita ex infallibilitate Traditionis, cuius testes sunt Episcopi, expedietur in Th. seq.

III. Subiectum immediatum infallibilitatis illud dicimus cui per se non per aliud seu non mediante aliò, assistit Spiritus S. ne erret. Quia vero medium non est sola conditio, sed aliquid efficiens, hinc cum dicimus subiectum infallibile non mediante aliò, excludimus non puram conditionem aliquam, sed exercitium activitatis alterius quo Spiritus S. assistit docenti. Quare duplex huiusmodi subiectum auctoritatis infallibilis haberetur, si et Papa solus esset ex se infallibilis, et coetus quoque Pastorum, etsi unitus Papae esse debeat, sine Papa tamen docente aut confirmante esset quoque infallibilis. E contrario si Papa solus ex se est infallibilis et coetus Pastorum non nisi cum Papa et per Papam docentem aut confirmantem est infallibilis, unum est subiectum immediatum infallibilitatis. Ratio horum est quia in hac hypothesi non duo sunt quae habeant infallibilitatem per se et non per aliud, quod requiritur ad rationem subiecti immediati, sed est unum, ratione cuius et alii eam participant. Atqui ex Th. XXIV, constat quod Romanus quidem Pontifex ex solo est infallibilis; ex iam dictis autem in hac Thesi constat magisterium universi coetus Pastorum, seposito magisterio Romani Pontificis, non esse infallibile: ergo non duplex est subiectum immediatum infallibilitatis, sed unum. Unus est scilicet Romanus Pontifex qui per se habet infallibilitatis praerogativam. Quare cum ceteris quoque Episcopis docentibus simul cum Romano Pontifice infallibilitas competit, est enim eorum sententia infallibilis: huiusmodi

infallibilitas nequit esse nisi participata et mediata, derivata nempe in eos a Petro, cum quo sociantur, et cuius doctrinam sequuntur.

Dices: nonne semper creditum est universum Pastorum coetum seu ipsorum consensum esse infallibilem? Respondeo: ita creditum est, ut simul quoque creditum sit (quod quidam videntur in hac quaestione oblivisci) concilia oecumenica non confirmata a Romano Pontifice errare posse: h. e. eorum decreta reformabilia esse; neque proinde esse ea, quibus obedientia fidei ab omnibus debetur. Porro quod de Episcopis in Synodus adunatis dicitur, id de iisdem quoque dispersis dici debet; neque enim in Synodus coacti minus valent quam in suis singuli manentes sedibus. Haec autem duo si componantur, nimurum consensum Pastorum infallibilem esse, et concilia oecumenica non confirmata a Pontifice non habere firmitatem, liquebit id unum creditum semper esse, quod scilicet consensus Pastorum conspirantium cum Romano Pontifice, et eo quod cum ipso conspirant, infallibilis sit. Hoc vero non multiplicat subiecta immediata infallibilitatis.

Dices rursus, definitum esse tantum quod Romanus Pontifex infallibilis sit cum definit; quando igitur ipse definitionem non edit, et existit tamen consensus Episcoporum in aliquid credendum, in quod quidem ipse Rom. Pontifex consentit quin tamen definit (nam docere potest etiam citra definitionem), nondum haberetur certitudo infallibilis veritatis, quod maxime inconveniens videtur; nam non pauca sunt quae vi illius consensus creduntur in Ecclesia.

Respondeo. Adverto 1º nos conclusionem nostram non demonstrare ex verbis definitionis vaticanae, sed ex verbis Christi et institutione Primatus, eamque nos defendere non ut veritatem de fide credendam, sed ut conclusionem theologicam. Adverto 2º quod iuxta ipsam definitionem vaticanam infallibilitas Pontificis est eadem (saltem specie) ac infallibilitas Ecclesiae; infallibilitas vero Ecclesiae non solum habetur cum ipsa sollemniter aliquid definit, sed competit etiam ordinario et universalis magisterio Ecclesiae, ut in Sess. 3º eiusdem Concilii statutum est. His positis dicimus consensum illum Pontificis ea in hypothesi esse reapse actum confirmatoris fratrum qui tribuit vim et robur magisterio ordinario, quemadmodum definitio eius vim et robur tribuit decretis conciliaribus.

Nonne, inquires, Apostolis omnibus eorumque successoribus promissus est *Spiritus veritatis* (Ioan. XVI, 13), dictumque est a Christo (Matth. XXIV, 20) *ecce ego vobiscum* (docentibus) *sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi?* Respondeo promissionem hanc factam esse *unitati*, h. e. apostolis eorumque successoribus unitis: hi autem non uniuntur seu revocantur ad unitatem nisi per